

quam cogitasse, quod Sacerdos Christum Dominum nostrum denuo pro viuis et defunctis offeret ac sacrificaret, ut missarii³³⁰ falso glorientur.

Nos igitur cum sancta et christiana ecclesia sentientes coenam Domini nostri Iesu Christi visitamus cum oratione et gratiarum actione, in corpore et sanguine Iesu Christi participamus, agentes poenitentiam et fidem nostram confirmantes in Domino: Sacrificium vero incruentum et Papisticum, non solum ut verbo Dei contrarium, sed etiam ut blasphemum in mortem et sanguinem Domini nostri Iesu Christi, non possumus non detestari, gratias agentes Deo pa-[157:]tri per Iesum Christum, qui verbo suo nos illuminauit, ne nobis
10 ulterius istis imposturis et satanicis commentis imponeretur.

XIX. De Ceremoniis.³³¹

Quanquam diuus Paulus definiens ecclesiam, esse unum Deum, unam fidem, unum Christum, unum baptisma etc.,³³² non dixit unum esse ritum seu unam ceremoniam, Ecclesiae substantiam ab accidentibus discernendo; tamen
15 opera danda est, ut in ceremoniis ecclesiasticis, quantum fieri potest, concordia seruetur et ceremoniis in suo foro id quod decet tribuatur. Non enim sunt dogmata ecclesiae, sed dogmatum accidentia tantum. Nam sicut dogmata sunt diuina autoritate tradita, sic et ceremoniae humana autoritate tradita, sic et ceremoniae humana autoritate sunt institutae in Ecclesia, praeter duo
20 sacramenta, quae dicuntur etiam ceremoniae, sed diuinitus instituta. Praeterea sicut dogmata sunt ad salutem necessaria, deque rebus aeternis, ut de lege Dei, peccato, Euangelio, gratia, iustitia, sacramentis etc. sic ceremoniae, quae sunt utiles, institutae sunt ad bonum ordinem seruandum, ut Paulus inquit.³³³ Papisticas vero ceremonias, quas liber Interim ecclesiis obtrudere
25 conatur, quia non tantum pro maiori parte sunt inutiles et splendorem tantum pietatis habentes, sed etiam quae-[158:]dam idolatricae id est aperte pugnantibus cum mandato Dei, quaedam superstitiosae et quaestuosae etc., non acceptamus, contenti piis et utilibus ceremoniis, quibus in Ecclesiis nostris ornata sunt sacramenta Christi, quemadmodum ordinatio nostrarum Ecclesiarum
30 satis clare testatur. Vt in baptismo commendatur orationi Ecclesiae baptizandus, leguntur Exorcismi, fugatur Satan, leguntur benedictiones, Euangelium secundum Marcum, recitatur symbolum, baptizatur infans, et iterum Ecclesiae precibus commendatur; sic in coena recitantur piae lectiones, eruditur populus saluari concione, fiunt preces, recitantur deinde verba Christi
35 de coena et sacramentum distribuitur aliquot piis exploratis petentibus, deinde dicitur gratiarum actio. Quid hic alienum est ab apostolico more, qui annos circiter trecentos in Ecclesia inde usque ab apostolis mansit? Quid hae

³³⁰ die Messpriester, Verfechter der Opfermesse.

³³¹ Vgl. Augsburger Interim XXVI, 135–145.

³³² Vgl. Eph 4,4f.

³³³ Vgl. I Kor 14,33.40.